DE
HYSTERIA QUAEDAM.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICO-PRACTICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA
FRIDERICA GUILELMA
AD SUMMOS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCILIANDOS
DIE XVI. M. IULII A. MDCCCXXXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

THEOD. CHRIST. KLEVESAHL
CURONUS.

OPPONENTIBUS:
B. HUMELET, MED. ET CHIR. DR. PRACT.
F. L. F. BUSCH, MED. ET CHIR. DR.
H. MOLKOW, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

CELEBERRIMO, ILLUSTRI,
EXPERIENTISSIMO

J. L. TRUESTEDT,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, PROFESSORI P. E. IN UNIVERSITATE LITTERARUM FRIDERICA GUILELMA, BORUSSORUM REGI A CONSILIIS MEDICIS SUPREMIS INTIMIS, COLLEGII SUPREMI AD REGENDAS RES SACRAS, MEDICAS ET INSTITUTIONEM PUBLICAM, NEC NON COLLEGII EXAMINUM HABENDORUM SUPREMI MEMBRO, POLICLINICI UNIVERSITATIS DIRECTORI, ORDINUM REGIORUM DE AQUILA RUBRA ET CRUCE FERREA EQUITI, COMPLURIUM SOCIETATUM LITTERARIARUM SODALI
ETC. ETC.

HASCE

QUALESCUNQUE PAGELLAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Caput I.

Sub nomine hysteriae, quo, demonstrante jam origine (quae est ab ὑστέρα, i. e. uterus), veteres medici usi sunt ad designandum singularem morbum, cujus propriam sedem in utero quaerebant, quem etiam, Platonis de utero, tanquam animali in animali, sententiam secuti, loco suo motum versus superiora ascendere arbitrabantur, recentioribus temporibus omnia fere symptomata nervosa, quae in morbis feminarum praecipue chronicis frequentissima incidere censuerunt, comprehendi coepta sunt. Imprimis vero symptomatum hystericorum causas in aliis morbis partium genitalium quaerendas esse propositum est, et anatomia pathologica, haud raro eorum vestigiis repertis, comprobare videbatur sententiam, hysteriam non morbum sui generis, sed symptoma tantum aliorum morborum referre. Verum, etiamsi praetermittamus, saepissime accidere, ut in secandis cadaveribus ne vestigium quidem structurae et texturae organo-

rum genitalium commutatae deprehendatur, neminem, qui liber solutusque ad judicandum accedat, fugere potest, festinantius argumentari eos, qui, si qua materiae commutatio morbosa reperiatur, statim hanc ut causam hysteriae accusent, neque videant, non minore cum jure eam pro effectu morbi hysterici haberi posse. Non quod in hoc morbo materiae mixtionem formamque nullo modo commutari credam; quamquam hae commutationes tam exiguae sunt, ut sensus prorsus effugiant solaeque vires a norma recedere videantur (1); sed hoc maxime vituperandum, quod morbi nervorum causa sufficiens in alia quapiam parte quaeritur. Qualiscunque enim organi cujusvis morbi est, symptomata functionis nervorum turbatae et perversae incidere non possunt, nisi ipsum systema nervosum suo morbo affectum sit. Quae enim sanum nervum afficiunt, impetum, qualis sani est, provocant (2). Non igitur quin morbis aliarum telarum vera neurosis procreari non possit, sed hi, quemadmodum aliae res externae, nil nisi causam remotam, neque vero per se sufficientem exhibent.

Hysteriam igitur intelligimus morbum nervorum, cujus primaria sedes et tanquam radix in nervis genitalium est; utrum omnium, an solum ovariorum vel uteri dijudicari hucusque nequit. Utero vel ovario deficiente, morbus nunquam existit, et continuo om-

(1) Cf. Reil Fieberlehre tom. IV. Vorrede pag. VII—VIII.
(2) Ibid. p. 36—37.

nium formarum, quas exhibet hysteria, non solum in decursu totius morbi, sed etiam in singulis paroxysmis, prima oritur ea, quam uterinam vocant. Itaque rejicienda est sententia tam eorum, qui generatim organa abdominis pro sede morbi habenda censent, ut qui eum non natura sua, sed sexus tantum differentia ab hypochondria differre arbitrantur, quam eorum, qui causarum, quibus saepe tam ipse morbus, quam singuli paroxysmi provocantur, conditione ducti sedem illius in cerebro collocant. Qualis vero haec affectio sit, densissimis hucusque tenebris obrutum est; quae enim in cadaveribus sectis inventa sunt hysteriae propria (neque tamen perpetua), systema scilicet gangliorum, imprimis abdominis, aliquanto durius, tumefactum, sanguine justo magis repletum, lucem morbo non affundunt, nisi quod sententiam de sede supra propositam comprobant. Attamen hoc quidem certo statui potest, hysteriam per se neque sthenicum neque asthenicum morbum esse; siquidem neque in iis, quibus sat virium est, atque in iis, quarum vires languent vel exhaustae sunt, observatur; immo in una eademque aegra modo virium exorbitantium, modo summae debilitatis signa apparent. Quodsi igitur quantitatem energiae (sit venia verbo!) accusare non possumus qualitatem perversam et turbatam statuere coacti sumus. Qualitas autem perversa cernitur in eo, quod actiones existunt, quales in nervis sanis excitari non possunt, ita tamen, ut

sanorum actionibus similes sint, h. e. ut semper nervorum actiones esse appareat. Jam igitur videndum, quaenam actiones nervorum perversae in hysteria occurrant.

Omnium formarum primariam et tanquam radicem diximus uterinam esse. Ea, nondum latius propagato malo, symptomata admodum conspicua exhibet; aegrae molestia quadam in regione uteri et ovariorum afficiantur, simulque sensatio existit, quasi uterus ex ima pelvi surripiatur. Memoratu dignum, quod in reliquis morbis partium genitalium uterus descendit, in hoc vero solo contrarium quoddam accidit; ut jam hac re innui videatur, affectionem ad superiora tendere. Etenim inde ab utero morbus pedetentim ascendit, ab initio quidem nervi sympathici decursum sequens; post vero ad medullam etiam spinalem, et secundum decursum n. vagi, sympathicum nervum et cerebrum inter se jungentis, ad ipsum cerebrum sese attollit. Pedetentim hoc fieri dixi; quippe enim singula centra nervi sympathici, maxime plexuum ejus, ut mesentericorum, coeliaci, hepatici, cardiaci, carotici, praepedire impedimentumque afferre videntur affectioni, quo minus altius assurgat. Nunquam enim partes altius collocatae paroxysmis corripiuntur, nisi prius in inferioribus exstiterint. Liquet igitur, in decursu morbi ipsiusque violentia nerv. sympathicum conductionem fieri; ab initio nulla, quae quidem percipiatur, sensationes perducendi facultas inest; sen-

sim vero, superatis paullatim impedimentis, affectio ad alteriora perducitur, initio quidem lento gradu, ita, ut ejus ascensus ex ima pelvi, praegressis signis, quae hysteriae uterinae propria esse dixi, ab aegris manifeste percipiatur, aurae scilicet vel globuli (quem globulum hystericum vocant) assurgentis sensationem procreans. Denique tam celeriter affectio perducitur, ut puncto temporis, quo incipit, eoque quo ad finem pervenit, fere una incidentibus, forma primaria vix percipiatur, totusque paroxysmus in partibus altius collocatis sedem habere videatur. Neque tamen negandum, si malum per longius tempus jam duraverit, affectionem aliarum partium saepe jam idiopathicam factam esse, neque, ut paroxysmi in iis existant, opus esse ut passio primaria (uterina) praegrediatur.

Jamque delineato totius morbi decursu, transeundum est ad descriptionem formarum, quas singuli paroxysmi hysterici exhibent ita varias, ut vix ullus sit morbus, quin hysteria ejus speciem imitari possit meritoque haec Proteus inter morbos nominetur. Qua in descriptione ita progressuri sumus, ut ipsius morbi progressus sequentes ab imis ad summa ascendamus. Monendum vero latius progresso jam malo, raro singulas pro se separatasque existere formas, sed saepe plures inter se conjunctas observari, alteramque in alteram transire.

Ab utero affectio hysterica proxime versus organa, quae cum ipsis genitalibus contingunt, rectum

dico et vesicam urinariam, procedit. Aegrae in vesica sensum quendam gravitatis et compressionis percipiunt, quae urinam mittendo haud raro in verum spasmum abit, ut urinae guttatim tantum vel omnino non fluant. Similem speciem affectio hysterica recti, quae rarissime observatur, prae se fert; sensatio oritur tenesmo similis, aegras sellam adire continuo cogens. Finito paroxysmo, si vesica affecta erat, urina pallida, copiosa, si rectum, satis magna vis muci, sano simillimi sed aliquanto tenuioris excernitur.

Multo frequentius ea morbi species observatur, quae in plexu mesenterico residet. Aegrae queruntur de dolore vehementissimo regionem umbilicalem occupante, quasi intestina cultris discinderentur. Inter haec phaenomena, enteritidem vehementissimam aemulantia, tamen abdomen neque tumefactum neque sano durius apparet; pressione fortiore dolores non solum non augentur, sed etiam minuuntur. Simul magna vis gasorum intestinalium secernitur atque per os et anum ejicitur, nec raro cibi in ventriculum ingesti cum aqua et muco evomuntur, aut diarrhoea existit faeces liquidas vel mucum purum excernens.

Vix minus frequens ea species est, quam cardialgiam hystericam vocant. Exoritur sensus oppressionis vel constrictionis in regione epigastrica, interdum cum exigua mollique intumescentia (ex gasorum evolutione), quae fortiter pressa dolorem non excitat, quamquam aegrae ne levissimum quidem tactum ferre

posse sibi videntur. Saepenumero affectio versus plexum hepaticum, rarius versus lienem propagatur; quod si fit, praeter sensationes illis, quas in epigastrio percipi dixi, similia sapor amarus vel acidus existit. Denique secundum oesophagum ascendente affectione, vomituritiones, nausea, vomitus existunt, fluidumque ejicitur tenue, aquosum, pellucidum, saporis aut sapidi, aut, si hepar etiam affectum erat, amari. Dolores regionem epigastricam et hypochondriacas occupantes interdum tam acerbi fiunt, ut imaginem gastritidis tibi propositam credas aut, quum febris deficiat, cardialgiam veram adesse putes.

Turbulenta admodum apparet affectio hysterica, si cor et vasa majora aggreditur. Aegrae summa anxietate subito corripiuntur, aërem hiante ore captant, pectus constringitur, cor vehementer ad costas appellitur et turbulenter tanquam volutatur. Pulsus arteriarum irregularis quidem, neque vero concitatus apparet, sed exiguus, contractus, rarus. Non semper tam vehementer cor afficitur; subinde exigua tantum palpitatio animadvertitur. Affectio aortae descendentis, eam imprimis partem, quae per diaphragma transmittitur, infestans, similia exhibet symptomata.

Nulla omnium formarum magis illudere potest medicum, quam ea, quae in organis respirationis considet. Affectio plexu pulmonali, primum pectus magis minusve comprimitur, ita ut summa respirandi difficultas oriatur; lingua simul abrupta, debilis, an-

helans. Verum haec, quae videtur, spirandi loquelaeque difficultas, simulac confabulandi studio aegras efferre contingat, statim evanescere solet; et tantum abest, ut aegrae confabulatione defatigentur, ut linguae etiam volubilitatem mireris. Saepe tussis etiam acuta, abrupta accedit, quae saepius revertente affectione, augescit et continua fit, tamque pertinaciter perstat, ut facile phthisin adesse tibi persuadeas. Si globulus hystericus in regione laryngis consistit, id quod omnium fere frequentissimum est, spasticae contractionis signa apparent, spiritus difficilis, angustior, sibilans, loquela impedita, interrupta, aucta, cui mox accedere solet tussis spastica, ei quod in angina membranacea observatur, simillima.

Rarissime observatur affectio hysterica nervorum faciei, quae, a levibus musculorum contractionibus incipiens, paullatim in spasmos vehementissimos cum depravatione oris abit, saepe risus fletusque, haud raro celerrime inter se alternantes, invitis aegris intactoque a pathematibus animo, existunt. Evenit etiam, ut unius tantum lateris musculi ridentium vel flentium ad instar fastidiosum in modum distorqueantur.

Cephalalgia hysterica admodum frequens omniumque fere pertinacissima est. Ejus duae potissimum species distinguuntur. Altera, quam clavum hystericum vocant, sedem habet in circumscripto aliquo loco suturae sagittalis, in quo aut dolor percipitur

urens atque terebrans, quasi caput clavo intruso discederet, ipsique capilli tactu dolent, aut frigus acerbissimum, quasi is locus conglaciasset. Altera species hoc sibi habet proprium, ut dimidium capitis dolore obsideatur; unde ipsi hemicraniae nomen inditum est.

Accedunt aliae quaedam affectiones rarissimae, quae non nisi admodum inveterato morbo incidere solent, ipsasque partes centrales systematis nervorum obsident, unde maxima inter eas aliasque neuroses existit similitudo. Si ipsum cerebrum afficitur, aegrae sopore corripiuntur, simulque facies tumefit atque rubescit, ut facile apoplexiam adesse credas, nisi respiratio nullo modo turbata pulsusque conditio talem errorem defendat. Neque prorsus sine sensu sunt aegrae; subinde enim, dum soporosae decumbunt, clamores tollunt. Medulla spinalis morbo affecta cernitur spasmis aut tetanum, ejusque species imitantibus, aut, singulis tantum nervis correptis voluntatisque arbitrio subtractis, distorsionibus variis membrorum motibusque choreae similibus.

Caput II.

Cum propter tot tamque varias aegritudines, quas hysteria complectitur, delineatio totius morbi una quasi imagine contineri nequeat, singulaeque aegritudines vix habeant, quo ab omnibus malis specie similibus certo dignoscantur, infitiari non possumus, diagnosin, nisi totum morbi decursum respicias, saepe difficillimam esse. Accedit, quod hysteria multos alios morbos antecedit, comitatur, sequitur; unde facile fieri potest, ut tum hysterica affectio nervi sympathici, tum aliae aegritudines una cum hysteria incidentes nos fugiant, alteriusque symptomata ad alteram referamus. Itaque ut habeas, quo ex his turbis te expedias, communia quaedam et per totum morbum constantia maxime respicienda sunt, neque tam ex singulis paroxysmis, quam ex totius morbi complexu diagnosis petenda. Utplurimum malum hystericum jam facie vultuque sese prodit, maximeque oculis, saepe corporis motibus, quin etiam loquela, languidum ardorem fatentibus. Insigne est praeterea phaenomenorum mira inconstantia atque mutabilitate aegrae, dum tormina ventris aliasve sensationes perversas conqueruntur, subito convulsionibus vehementissimis jactantur; dum turbulentisssimae cordis palpitationes

cum summa anxietate et spirandi difficultate carditidis imaginem ante oculos ponere tibi videantur, subito his omnibus sublatis, cephalalgia oritur vehementissima. Neque minus animus varius est, ut aegrae absque ulla causa mox rideant, mox fleant, ex immodica laetitia repente in desperationem dejiciantur, et vix unquam animi aequabilitate gaudeant. — In dignoscendis singulis paroxysmis hoc praeprimis respiciendum est, phaenomena parum inter se consentire. Sic e. g. in hysteria intestinali, dum aegra torminibus acerbissimis cruciantur, pulsus non solum non concitatus, sed retardatus, calor cutis non auctus, ut paucis, nullum systematis vasorum affecti signum apparet; dum omnia symptomata carditidum simulare videntur, urina mittitur aquosa, copiosa; aegrae, dum cephalalgia vehementissima cruciantur, mentis suae plane compotes sunt, dum summam lassitudinem conqueruntur, coetumque omnem a se removeri jubent, eundem tamen magna loquacitate detinent. Confundi possint paroxysmi hysterici cum inflammationibus organorum, quae illis obsidentur. Verum recordans, in inflammatione phaenomena semper continua esse atque inter se consentire, ac maxime febrem, quae non solum deest in accessionibus hystericis, sed cui etiam quaedam systematis vasorum observatur conditio, et viribus et ambitui vehementiaeque inflammationis respondere, secretiones denique diminutas, et singularem in modum commutatas esse, non facile in talem

errorem incidas. Attamen negari nequit, quin inflammationes ex hysteria interdum ortum trahentes, dum fiant, ad dignoscendum saepe difficillimae sint. Nec minus multis saepe difficultatibus implicata erit diagnosis, si hysteria, partes centrales systematis nervosi obsidens, apoplexíam, catalepsiam, tetanum imitatur. Apoplexiam eo magis suspicari possimus, quod hysterica affectio cerebri cum rubore et tumescentia faciei, licet exigua, conjuncta esse solet. Attamen desunt reliqua symptomata apoplexiae propria, ut pulsus tardus, magnus, dimidia facies distorsa, respirationis difficultas; praeterea spasmis abdominis, qui contactis partibus genitalibus vel regione epigastrii in hac affectione existere solent, aliisque signis, hysteriae propriis, magis etiam diagnosis confirmabitur. Hysteriam, quae catalepsiam imitetur, facile eo, quod circa illa artuum flexibilitas desideratur, ab hoc morbo dignosces. Tetanus denique hystericus fere nunquam omnes musculos, sed alternis viribus aliam atque aliam musculorum seriem corripere solet.

Caput III.

Causam proximam, quam dicunt, hysteriae nos latere, nequidem ad liquidum perductum esse, qualis sit illa vitae nervorum perversitas tam mira tamque varia symptomata procreans, inter tantam caliginem qua singularis nervi sympathici vita obruitur, haud sane mirandum est. Conjectum tantum, neque vero sine aliqua veri similitudine, suspicari possumus, functiones systematis nervorum sympathicorum, atque ab initio quidem eorum, qui ad organa genitalia pertinent, ita commutari et tanquam perverti, ut, quum hi in statu sano fere solum vitae vegetativae regendae inserviant, sensibilitate vero valde exigua tantum gaudeant, contraria quaedam inter has functiones existat ratio, et non sine magno nutritionis detrimento, dum vis vitam vegetativam regendi minuitur, sensibilitas supra modum augeatur. Quantopere huic sententiae faveat totius morbi decursus, quo magis magisque sensationes perducendi facultatem in nervo sympathico accrescere elucet, atque vis perniciosa, quam hysteria per longius tempus perdurans in nutritionem totamque vegetationem exercet, non est, quod pluribus exponam.

Quod ad causas praedisponentes, prae ceteris re-

censenda constitutio quaedam corporis, quae temperamento irritabili, cutis teneritate, ingenio vivido magnaque vi imaginandi praedito cernitur. Adde quod in feminis omnino systema genitale multo majorem vim in totum reliquum corpus exercet; unde facile apparet, qui fiat, ut hysteria sexui feminino fere propria sit. Neque tamen nunquam ea in viris observatur, uti arbitrantur ii, qui sexus tantum differentia eam ab hypochondria differre volunt; quae et ipsa sexui sequiori haud plane parcit. Altera causa praedisponens in aetate posita est. Nunquam enim morbus ante pubertatem existit; frequentissima vero observatur iis aetatis annis, quibus systema genitalium omnibus partibus perfectum esse solet. Sunt etiam, qui hereditariam dispositionem accusent; ac certe negari nequit, quin ea nervorum incitabilitas, qua morbo gignendo ansam dari vidimus, e parentibus in progeniem transferri possit.

Causae occasionales variae admodum et numerosae, eo praecipue differunt, quod vel vitam vegetativam debilitant atque labefactant, vel sensibilitatem irritando supra modum augent; utrisque vero hoc videtur commune esse, quod sive directe, ut dicunt, sive indirecte, id efficiunt, ut sensibilitas praeter normam praevaleat. Atque alteri quidem causarum seriei imprimis adnumeranda est aëris prava conditio, maximeque humiditas nimia et tamquam crassitudo, ut in cubiculis, quae aëris flatui non exponuntur. Tis-

sot (1) aestate quadam calidissima ventorumque segnitie insigni plures mulieres hysteria narrat correptas esse, quae antea huic morbo haud fuerint obnoxiae. Praeterea huc pertinent morbi quidem febriles, quorum praecipua sedes in nervis sympathicis abdominis est, ut typhus, quem abdominalem dicunt, febres intermittentes, quibus utrisque eam sympathicorum functionem, quae vegetationi praeest, summopere labefactari scimus. Nec minus accusanda sunt profluvia nimia, ut haemorrhagiae, aliorumque humorum, quibus parandis magna vis sanguinis impenditur, nimiae secretiones; unde hysteriam saepissime leucorrhoeis (quae fortassis etiam nervos genitalium irritando agunt), partubus praematuris, lactatione nimis diutina, abusu venaesectionum, praesertim tempore pubertatis instantis, durante graviditate et statim post partum, exoriri videmus. Tissot plura narrat exempla, quibus purgantia drastica neuroses gravissimas procrearint. Quemadmodum his rebus morbus praecipue in feminis inferiorum ordinum gigni solet, sic altera causarum series in divites magis cadit. In qua primum locum tenet educationis ratio nostro aevo propria, vituperatione dignissima, sed proh dolor! cum vitae communis, qualis nunc est, conditione arctissime conjuncta, qua profecto fieri non

---

(1) Tissot. Ueber die Nerven und ihre Krankheiten. Leipzig 1791.

potest, quin vita sensitiva praeter modum augeatur et prae ceteris facultatibus praevaleat. Adnumerandus coitus nimius; maxime si nulla insequitur conceptio, manustuprationes, abusus remediorum coeundi ardorem excitantium, uti vanillae, aliorumque similium, libidinosa imaginationum luxuria, frequentiore virorum consuetudine, scenarum illecebris, libris morum innocentiae infestis excitata. Denique haud possumus infitiari, quin morbis aliorum organorum abdominis, imprimis genitalium vera hysteria procreari possit; quod quum facile concedimus, non tamen ea sumus sententia, mero consensu totum agmen symptomatum hystericorum provocari, sed morbis illis, uti aliis causis, ita affectum esse systema nervorum sympathicorum, ut hi suo morbo, neque jam ab illis pendente, laborent.

Caput IV.

Hysteria per se quidem vix unquam periculum vitae minitatur, nec nisi illis paroxysmis, qui affectis partibus systematis nervosi centralibus existunt, si tanta cum vehementia accedunt, ut ingentes intentiones paralysis insequi debeat, mors ipsa interdum adducitur. Sed quo minus perniciosum, eo pertinacius malum est. Neque fieri potest in tanta perver-

sitate functionum nervi sympathici, quas in perficienda sanguificatione maximi momenti esse satis constat, quin, per longum tempus persistente morbo, tota nutritio turbetur, materiae organicae mixtio deterioretur, veraque cachexia existat. Ac re vera turbatae vegetationis signa statim, simulac morbus ad certum gradum evectus est, apparent satis manifesta, concoctio ciborum difficilis, intestina flatibus extensa, secretiones perversae, obstipatio alvi cum diarrhoeis interdum intercurrentibus, muci secreti conditio acidula, non solum in stomacho, unde ructus acidi et pyrosis existunt, sed etiam in aliis partibus mucosa obductis; vix in leucorrhoeis, quae haud raro ex hysteria ortum trahunt, mucus tanto saepe acore secernitur, ut partes vicinae corrodantur. Singuli quoque paroxysmi, si cavum abdominis vel pectoris obsident, secretionibus auctis et similem in modum commutatis finiuntur. Haec autem vitae vegetativae deterioratio haud raro ansam dat gignendis desorganisationibus organorum gravissimorum, eoque magis, quod in illis partibus, quae frequentius affectione hysterica obsidentur, facile chronica inflammatio existit, quae humoribus depravatis alita difficillime tantum resolvitur. Hinc uteri ovariorumque desorganisationes, tubercula, imprimis in cavo cranii, phthisis laryngea ex hysteria saepe originem ducunt.

Ad sanitatem restituendam quod attinet, ex iis, quae de causis atque de decursu morbi monui, fa-

cile colligitur, quibus in casibus bona, quibus mala statuenda sit prognosis. Si origo morbi in insigni magis praedispositione quam in noxiis externis quaerenda est; si noxae, quibus iterum atque iterum malum cieatur, evitari aut amoveri non possunt; si morbus per multum tempus jam duraverit, eoque magis quo nutritio vel totius corporis vel singularum partium jamjam mutata est depravata apparet; prognosis mala solummodo locum habebit; sin vero morbus adhuc recens est, causaeque facile evitari possunt, si aetas aegrarum pubertati adhuc propior est, non solum sperari licet, morbum arte superatum iri, sed saepenumero ne opus quidem est ejus auxilio. Ceteroquin fallacissimum est difficillimumque hoc in morbo praesagium; ut qui saepe pro tempore videatur disparuisse, inopinato autem insigni cum vehementia redeat; aut paullatim decrescens in finem vergere videatur, sed denuo assurgens et pertinaciter instans medicum aegramque decipiat.

Caput V.

In curatione instituenda primum locum tenet indicatio causalis; nam nulla unquam in remediis salus est, nisi causas amovere contingat. Victus ratio ut plurimum prorsus commutanda erit; monendum tamen, hoc non subito perficiendum, sed paullatim et tanquam per gradus aegras a solito victu detrahendas esse. Quae quomodo fiant, quum, causis bene perspectis, sponte eluceat, non est quid fusius exponam.

Indicatio morbi, quam vocant, duplex est; aut enim singulos paroxysmos respicit, quae palliativa, aut totum morbum, quae radicalis est.

I. Indicatio palliativa.

Si leviores sunt accessiones nullumque ex iis periculum minitatur, non opus est remediis, atque vix alia nisi externa adhiberi solent et debent, ut pediluvia tepida, perfricatio abdominis levis, vel, uti jam Celsus (1) monet, aliqua ex iis, quae foedioris sunt odoris, e. g. plumae adustae, asa foetida, naribus admota. Maxime vero causae indagandae, si quae or-

---

(1) Celsus de re medica. Lib. IV. cap. 20.

tui accessionis occasionem dederunt, eaeque quantum fieri potest amovendae. Omnino cogitandum magis de futuris malis praevertendis, quám de avertendis praesentibus, semperque reputandum, ipsos paroxysmos molimina esse naturae medicatricis, arte, nisi ex ipsis periculum instet, non turbanda. Sin vero graviora urgent symptomata, artis auxilio efficaciore utendum est. Remedia autem hoc loco maxime commendantur partim externa, ut frictiones vel totius corporis vel singularum partium, clysmata, synapismi, aliaque, quae derivent affectionem, partim interna, quae sanguinem in parte affecta excitantia auctam sensibilitatem reprimant. Altera medendi ratio, quae derivando agit, quum in omnibus paroxysmis hystericis locum habet, tum fere sola adhiberi potest, si partes centrales systematis nervosi affecti sunt, in quibus cavendum quam maxime, ne inflammationes harum partium gignantur perniciosissimae. In his igitur admoveantur clysteres, synapismi variis corporis partibus impositi, et similia; juvant quoque, quae foedioris esse odoris supra dixi, inprimis in sopore et lethargo hysterico. Altera medicamentorum serie, quae prae ceteris gummata ferulacea, rad. valer. et flor. chamomillae complectitur, nisi summa cum cautione, ne inflammationem cieas leviusque malum graviore expellas, utendum non esse satis elucet. Eligenda autem ex his, quae eam imprimis partem, in qua resideat paroxysmus, affi-

ciunt; unde gummi ammoniaci prae reliquis in hysteria pulmonali, reliqua in omnibus fere formis efficacia fore patet. Si dolores vehementes, vomitus et diarrhoea gravior insultum comitantur, narcotica, et imprimis opium, omnium efficacissima sunt. Fluxus menstruus brevi ante suppressus semicupiis tepidis interdum revocatur; sin minus, sanguis juvat in pede missus.

II. Cura radicalis.

Nil magis necessarium in curando malo hysterico, quam ut, priusquam ad ipsum debellandum accedas, alii morbi, si qui cum illo complicati incedant, removeantur. Etenim hi non solum obstant, quo minus medela hysteriae opposita efficaciam suam exserat, sed etiam malorum complexus magis in dies complicatur, ut postremo non jam habeas, quo ex tantis turbis te expedias. Imprimis functionem digestionis, quae rarissime in hystericis ab omni parte normalis est, remediis amaris et leniter solventibus, quantum fieri potest, ad normam reduci oportet. Neque minus totius corporis debilitas, quae, licet haud necessario cum hysteria conjuncta, tamen, sive causarum conditione sive perversa nervorum sympathicorum actione adducta ut plurimum in hystericis observatur, vanam reddit hysteriae medelam, nisi ipsa simul respicitur. Hinc intelligitur, quanta plerisque in casibus ex usu praeparatorum ferri, maximeque

aquarum martialium, ut quae Pyrmontae (1), Driburgae (2) aliisque in regionibus scaturiunt, redundare debeat utilitas.

Remotis causis atque complicationibus, ipsius morbi sanatio, si non sponte evenit, haud magnas exhibet difficultates. Remedia in universum eadem, quae ad debellandas singulas accessiones, ad medendum toti morbo efficacissima esse docuit experientia, gummata ferulacea dico et quae his affinia sunt; quibuscum, si aucta simul adest nervorum cerebralium sensibilitas, narcotica conjungi debent, si totius corporis debilitas, tonica amara et ferrum. Si recte judicamus, in hysteria sensibilitatem nervi sympathici auctam esse detrimento earum hujus nervi functionum, quae vitam vegetativam regunt, simulque reputamus, quantam vim gummata ferulacea in totam nutritionem exserant, merito videtur conjici posse, in hoc eorum efficaciam in debellanda hysteria positam esse, quod ipsas illas functiones restituendo nimiam sensibilitatem repellant. Quae ne rursus caput attollat, non tam medicaminibus, quam apta totius vitae degendae ratione effici potest. Monendae sunt aegrae, mollioribus animi sensibus ne indulgeant; eripiendi libri moribus infesti; attendendus animus ad rem familiarem, neque patiendum, ut aegrae inertiae

(1) v. Marcard, Beschreibung von Pyrmont, tom. II.

(2) Brandis, Erfahrungen über die Wirkungen der Eisenmittel und des Driburger Wassers insbesondere. 1803.

sese dedant et in otio languescant. Victum in universum eum esse oportet, qui ventrem non gravet et facile in sanguinem vertatur; condimentis ciborum quantum fieri potest abstineatur. Corpus quotidie motibus tum domi tum sub Jove agitandum; animus, ne in phantasmatum illecebras delabatur, ad intelligendi judicandique vim acuendus est. Quae coitum justo magis appetunt, quod frequentius obtinet, monendae, ut modice Venere fruantur. Gravissima denique ex diaeteticis, et quibus ad sanandam hysteriam careri prorsus non potest, sunt balnea, sive ex aqua pura, sive martialia et sulphurata, imprimis nativa.

VITA.

Ego Theodorus Christianus Klevesahl anno MDCCCXII. die XXVII. mensis Octobris a patre Friderico Klevesahl, pharmacopola, et a matre Charlotte, e gente Frank, St. Petropoli natus, confessioni evangelicae adscriptus, Vindaviae usque ad annum tredecimum, praeceptoribus privatis, primis litterarum elementis imbutus, deinde institutum, quod tum temporis sub auspiciis Ill. Directoris Hillners floruit, per VII. annos frequentavi; unde denique gradu maturitatis adepto, Regiomontum me contuli, ubi ab Ill.

Schubert t. t. prorectore magnifico inter cives academiae Albertinae et ab Ill. Burdach in medicorum ordinem receptus sum. Per annos tres et dimidium hic me edocuerunt Ill. viri Rosenkranz logicen et psychologiam; Dulk chemiam inorganicam, zoochemiam, phytochemiam et pharmaciam; Meyer botanicen; Neumann mineralogiam; Moser physicen; de Baer zoologiam, zootomiam, splanchnologiam et neurologiam; Burdach junior osteologiam, syndesmologiam, myologiam, angiologiam, fasciarum machinarumque usum; Burdach senior physiologiam; Richter materiam medicam; Dietz theoriam morbi, morbos syphiliticos, therapiam specialem et formulas medicas conscribendi artem; Hayn artem obstetriciam et theoreticam et practicam; Unger chirurgiam, ophthalmologiam et akiurgiam.

Per annum clinicum et policlinicum chirurgicum duce humanissimo Ill. Unger, per annum unum et dimidium clinicum medicum

sub auspiciis Ill. Dietz, per annum unum clinicum obstetricium, cui Ill. Hayn praeest, frequentavi aegrorumque curam in me recepi.

Tandem m. Octobri a. MDCCCXXXV. Berolinum profectus ab Ill. Prof. rectore magnifico Busch in civium academicorum numerum receptus et ab Ill. Mueller decano albo medicorum adscriptus, has scholas frequentavi:

Clinicum ophthalmiatrico-chirurgicum duce Generos. de Graefe; policlinicum medico-chirurgicum duce Cel. Truestedt; clinicum chirurgicum duce Ill. Rust; clinicum ophthalmiatricum duce Ill. Juengken; clinicum medicum Ill. Bartels et Cel. Wolff.

Praeceptoribus his omnibus Illustrissimis doctissimis gratias et nunc ago quam maximas et posthac pio semper habebo animo.

THESES.

1. Arthritis et haemorrhoides morbus idem.
2. Habitum phthisicum peculiarem nego.
3. Qui tuberculosi pulmonum laborant, in iis fistulas ani sanari non licet.
4. Aquae potus copiosus, qualis hoc tempore ad sanandum quemvis morbum commendatur, saepius nocet quam prodest.
5. Visum in excolendo intellectu, auditum in excolendo sensu interiore potiorem esse contendo.